





1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.  
11.  
12.  
13.





VINDICIÆ  
SOLENNITATVM  
TESTAMENTARIARVM  
JUSTINIANEARUM.

29 75  
212

1659 15

QV A S  
D. O. M. A.

SUB PRÆSIDIO

*Viri Consultissimi & Amplissimi,*

DN. JOHANNIS REBHAN,

U. J. D. Cod. & Consuetud. Feud. Prof. Ord.

Collegii Juridici h. t. Senioris, Promotoris & Præceptoris mei omni observantiæ cultu  
prosequendi,

*Publicè asserturus*

JOH. GUOLFGANGUS *Grancz*

Byrutho-Franc.

d. 5 <sup>Febr.</sup> Mens. huius Januarii



ARGENTORATI

Typis Hæred. SEBASTIAN-NICOLAVS HETSTEDT,

ANNO clō lcclix.





*Serenissima & Celsissima*  
Curatela Byruthi-Brandenburgica,

CONSILII AULICI INTERIORIS,  
DICASTERII, ET  
CAMERÆ,

*Dnn. Prasidi, Consiliariis, Prasectis*  
*& Adfessoribus:*

VIRIS

GENEROSA NOBILITATE, AMPLITVDINE CONSILIO-  
RVM, RERVM GERENDARVM PRV-  
DENTIA

*Illustribus,*

Dnn. Patronis, Evergetis, & Promotoribus me-  
is, omni obsequii & observantia cultu  
devotè devenerandis.

Has studiorum meorum Academi-  
corum primitias, ea qua par est reve-  
rentia

*offero & consecro*

JOH. GUOLFGANGUS *Franc.*  
Byrutho-Francus.  
A. & R.





## PRÆFAMEN.

**S**olennitatum Testamētariarum  
Justitiam, sive necessitatem & utilitatem  
communem, justitiam & æquitatem, ad-  
versus profanum atque imperitum vul-  
gus, quod ex opinione pleraque, pauca  
ex veritate æstimans, omnes illas damnat  
& cum isto apud Scævolum in *l. 88. §. 17. ff. de legat. 2.* mise-  
ram & nimiam diligentiam increpat, subsequentibus  
paucis thesisibus asserturus: hasque in perpetuam atque  
integrâ retineri observantia, non tantum Reipublicæ  
interesse, *l. 5. ff. Testam. quem adm. aper. iunct. l. 3. ff. qui Testam. fac. poss.*  
sed etiam privatorum: imò nullorum magis, quàm  
ipsorum Testatorum, si modo solatio illo fati, ut ultra  
fatam voluntas ipsorum obtineat, securè frui velint, pro  
virili propugnaturus: arbitratus qui vires ingenii publi-  
cè periclitari velim, hanc juris partem, conatu hoc meo  
non indignam esse: id ipsum autem dum facere aggredior,  
Deum ter opt. max. ut adspiret captis hisce beni-  
gnè meis, devotè adoro & precor.

Thef. I.

**O**mnia autem primum hic explicandum est  
quæ nempe propriè sint & dicantur Testamenti solen-  
nia: hæcque quomodo ab essentialibus sive substantiali-  
bus ejusdem: item à naturalibus & accidentalibus diffe-  
rant: ne vel horum confusione ipsimet à scopo aberremus, aliisve  
aberrandi præbeamus occasionem.

A 2

2. Licet



2. Licet enim non omnibus distinctio hæc, inter actus alienius essentialia, naturalia, accidentalia & solennia, videatur probari, confer. Giphani. *tr. de divis. Iur. n. 63. & seqq.* moti, quod non tantum recentiores; verum etiam & imprimis Veteres Icti, naturalia sæpè cum essentialibus: item naturalia cum accidentalibus, & hæc omnia cum solennibus sæpius confundere, terminisque hisce non hac accuratone videantur uti. *fac. §. 2. I. de legat. ibi: omnibus legatis una est natura. §. 3. I. eod. ibi. ex natura fideicommissorum. Id. eod. crescat fideicommissorum natura.* & paulò post. *natura utriusque iuris. §. 3. I. de locat. & conduct. ibi. propriam statuit naturam. h. e. essentialiam. §. 2. I. de societate. ibi: contra naturam societatis. & passim in iure.* Attamen esse hæc revera inter se se diversa, ex diversis ipsorummet definitionibus luculenter apparet. Donell. *9. comm. 13.* Consequenter distinctionem hanc non tantum docendi causa, sed etiam propter summam ejusdem in praxi forensi utilitatem omnino tenendam esse, res ipsa cogit.

3. Et quidem, quæ sint essentialia Testamenti (ne enim pluribus moremur in aliis actibus & negotiis, discursum subiecto nostro accommodaturi sumus) ex ipsis juris rudimentis patescit, nempe ea, per quæ Testamentum est id quod est, & quidem ita, ut sine illis nullatenus esse possit; sed iis sublatis aut immutatis, necessum sit illud totaliter annullari. *l. 9. §. 3. ff. ad exhibend.* Abbas Pannormitan. *1. cons. 72. n. 2.* Atque hæc vel sunt *communia* omni ultimæ voluntati, vel *propria* Testamento: Etenim *requisitum essentialiale commune* omnibus ultimis voluntatibus est, voluntas testatoris ad testandum habilis, ultima, libera, & declarata: *Proprium* verò, heredis institutio. Meyrer. *1. de success. Testam. 1. n. 1.* Alterutro enim horum deficiente, Testamentum non est Testamentum. Et quidem ex defectu voluntatis Testatoris Testamentum nullum esse, apparet ex *l. 35. §. 3. ff. de hered. instit. Novell. 22. c. 2. in pr.* Ripa. *tr. de temp. nocturn. c. 41. n. 22.* adeò ut nec inter liberos valeat. Claris. *§. Testamentum. quest. 9. n. 1. & ibi Harprecht. Pantschman. 2. quest. 2. n. 1.* minus ex heredis: omnium v. minimè ex alius alicujus extranei arbitrio pendere possit. *l. 32. l. 68. ff. de hered. instit. l. 34. §. pen. ff. de legat. l. 52. de condit. & demonstrat. Carpzov. 3. Iurisprud. forens. 5. definit. 9. n. 4. Richter. 1. decis. 27. n. 1.* & quidem utroque jure: frustra enim sunt, quicumque aliud de jure Canonico obtinere, ex *c. cum*

Tibi



5.

Tibi 13. x. de Testam. & haecenus jura hæc inter sese differre tradunt, ut Canif. de differ. Iur. Civil. & Canon. Rosbach. 2. de diff. Iur. Civil. & Can. 4. n. 8. Rittershus. 4. de diff. Iur. Civ. & Can. 3. confer. Fachin. 5. controv. 57. Vivian. in rational. ad. d. c. 13. x. de Testam. Eadem quoque est ratio heredis institutionis: hæc enim, uti Imp. loquitur in §. 34. l. de legat. caput atque fundamentum intelligitur totius Testamenti, & per eam Testamentum vim suam, d. §. 34. sive vires suas accipit, & esse incipit. l. 10. ff. de Iur. Codicill. ita ut hæc cessante, non tantum inutile sit Testamentum. §. 2. l. de fideicomm. hered. nec quicquam in illo scriptum valeat. l. 1. §. 3. ff. de vulg. & pupill. subst. Verum etiam ne tabulæ quidem Testamenti intelligantur. l. ult. ff. d. t. Nec enim, ut rectè in l. 3. ff. de his quæ in Testam. del. Advocatus fisci replicando arguit, ulla dispositio ut testamentum valere potest, quæ heredem non habet. Gædd. 3. conf. Marpurg. 27. n. 8. & conf. 28. n. 5. & seqq. Dauth. tr. de Testam. n. 12. & seqq. hæcque ceu formâ sua propria, testamentum à codicillis, aliisque ultimis voluntatibus perpetuò determinat post Constantinum Imp. in l. 7. C. de l. Codicill. Imp. noster Iustinianus satis perspicuè in §. 3. l. de Codicill. ibi: ne confundatur in Testamentorum & Codicillorum. Atque formam hanc, cum Testamentum (ne de solennitatibus Testamentariis propriè dictis dicamus,) ex sola Iuris Civilis ordinatione habeat, elenchum ignorant, vel ambiguitate ludunt, quicumque Iurigentium illud acceptò ferunt. confer. Dn. Præses, Promotor ac Præceptor meus ætatem suscipiendus. r. de success. Testament. quæst. 1. & ibi alleg.

4. Naturalia Testamenti sunt & dicuntur, quæ quidem ex naturâ & potestate Testamenti dimanant, eiq; tacitè insunt, quamvis non fuerint expressa; formam tamen ejusdem non ingrediuntur, nec constituunt, sed Testamentum sine hisce consistere potest. arg. l. 11. §. 1. de act. empt. ibi. quæ naturaliter insunt. Alciatus ad l. 3. n. 2. ff. de reb. cred. definit naturam Testamenti vim ipsam qualitatemve inductam secundum proprios ejusdem fines, separatam ab iis quæ extrinsecus accidere possunt. Baldus ad l. 1. n. 1. ff. commodat. naturam actus alicujus esse dicit virtutem productam in propria sua specie. Brevius & penè explicatius idem Baldus 2. conf. 272. pr. naturam Testamenti, uti cujuslibet alius actus est, determinat, quicquid pro regula de eodem jure traditum est. e. g. Testamentum in heredem, utpote successorem in omne jus quod defunctus habuit.



*l. 24. ff. de V. S. l. 62. ff. de R. I.* non tantum Dominium rerum hereditariarum irrevocabiliter transfert. §. *ult. 1. per quas person. cuiq. adq.* Verum etiam simul omnia alia emolumenta atque onera: at tamen salva Testamenti essentia, Testator aliud quid disponere, heredemque vel legatis vel fideicommissis singularibus aut universalibus, purè vel sub conditione gravare potest. *tt. 1. de legat. tt. 1. de fideicomm. hered. tt. 1. de singul. reb. per fideicomm. relict. & passim in iure.* heres etiam beneficio inventarii hereditatem adire potest, & sic se oneribus hereditariis, quatenus vires hereditatis egrediuntur, eximere. *l. ult. C. de iure delib.* Sic heres tenetur præstare factum defuncti. *l. 149. de R. I. l. 14. C. de R. V. & subsequi ejus voluntatem. l. 10. C. de solut. l. 114. §. 15. ff. de legat. 1.* Carpz. §. *Respons. Elect. 73. n. 8. Richter 1. decis. 25. n. 12.* & tamen contra sententiam Testatoris legem falcidiam inducere potest: & Pegasiano SCto uti. *l. 76. ff. ad l. Falcid.* & quæ alia talia plura.

5. De accidentalibus Testamenti ne quidem attinet dicere, cum plusquam evidens sit, ea esse & dici, quæ neque essentiam alicujus actus constituunt, neque ex natura & potestate ejusdem dimanant; sed quæ pro placito agentis eidem adjiciuntur vel omittuntur: talia sunt in Testamento variæ clausulæ, ut codicillaris, derogatoria, reservatoria &c. imprimis verò substitutiones, legata, fideicommissa &c. ita accidit Testamento scripto, in tabulis, chartâ, membrana vel alia materia scribatur. §. 12. *l. de Testam. ordinand. & ibi Theoph. l. 52. ff. de legat. 3.* (etiam jure novissimo, qui enim ex constit. de Notariis à Maximil. 1. in comitiis Colonia Agrippinæ Ao. 1512. lata §. *Item die Notarien sollen. in fin. ibi. in Pergamen vnd nicht Papier schreiben.* contrarium evincere volunt, ignorant elenchum, & plures quæstiones confundunt: quippe quod ibi non de codice Testamenti alicujus privati; sed de instrumento forensi per Not. Publ. conficiendo sermo sit, uti contextus ipse manifestò edocet. Accidens etiam est, utrum Testamentum quoddam, uno, pluribusve codicibus conficiatur, πολλοῖς διαθήκῃς ἰσοῦ ποῖς. §. 13. *l. de Testam. ordinand. Theoph. eod. & ibi Fabrott. ubi Salmasium more suo lectionem sollicitantem, notat. l. 15. in fin. C. de Testam.* Sic Nuncupativo Testamento accidit in scripturam redigi. &c.

6. Quibus generaliter cognitis manifestum evadit, neutro horum solennia contineri, sed ea medium quoddam esse inter substan-

stan  
Te  
test  
hoc  
pan  
len  
din  
ord.  
l. i.  
esse  
tam  
nis,  
len  
festa  
quæ  
Test  
nita  
sed &  
suis  
ex m  
ad T  
non  
subi  
esse  
Treu  
6. n. 6  
e. g.  
dat.  
si qu  
aut c  
fred.  
Wes  
v. no  
to no  
tum



stantialia, naturalia & accidentalia : Siquidem, quatenus accedunt Testamento extrinsecus ( quæ propriè sunt solennia, ) sine illis testamentum in se consideratum, constare potest, atque respectu hoc partim de indole naturalium, & partim accidentalium participant : quatenus verò jure præcisè requiruntur, & testamentum solenne constituunt, & quidem ita, ut sine iis Testamentum quod ordinatur, jure ut solenne non valeat. §. *sed cum paulatim. 4. l. de Test. ord.* Sed testatus testamento non solenni pro intestato habeatur *l. in pr. ff. de suis & legit. pr. l. de hered. qua ab intest. def. eadem proximè essentialibus absunt* : Hæc enim hic nobis solennia dicuntur, non tam quæ fieri solent, ( unde etiam Grammatici vocem hanc, *solennis*, derivatam esse, communiter tradunt : quamvis alii malint, solennia dici, quod *solo anno* sive semel anno peragantur, quomodo festa solennia dicuntur : quæ quotannis semel celebrantur ) sed quæ ita lege inducta, sancitaque sunt, ut necesse sit fieri, & nisi fiant, Testamentum qua tale h. e. solenne, ( actusve alius in quo solennitas requiritur ) nullius sit momenti. *l. per. ff. de in integr. restit. l. sed & 26. §. si feria ff. ex quib. caus. maior.*

7. Oleum itaque operamque perdunt, quicumque contentiosius disputant : *Vtrum solennitates sint de essentia alicuius actus?* Cum ex modo dictis plus quam manifestum sit, quod illæ ad actum, e. g. ad Testamentum ut sic, h. e. in se & absolutè consideratum, relata, non aliter se se habeant, quam quælibet alia accidentia ad suum subjectum. Verum Testamenti solennis qua talis considerati, essentiam omninò ingrediuntur, & sunt de ejusdem forma. *Conf. Treutl. 2. disp. 10. th. 5. lit. a. & ibi Bachov. Hunn. Berlich. 3. concl. pract. 6. n. 6. P. Berens 5. disp. 1. quest. 3.*

8. Ubi tamen & hoc monendum, ne hic quis solennia actus, e. g. Testamenti, cum ejusdem usitatis & observari solitis confundat. Licet enim etiam ea quæ solita sunt, fieri necesse sit, præcipuè si quam præsumptionem implicant, non temerè sint negligenda, aut circa ea quid innovandum, *l. 31. §. 20. ff. de Edil. Edict. ubi Gothofred. in not. lit. f. non tantum, quod novitates semper sunt suspectæ. Wesemb. in π. ff. quod quisque tur. in alt. stat. add. Barbosa locupletat. v. novitas. axiom. 2.* Verum etiam quod superflua, modo Testamento non sint contraria, adjuncta & adhibita nequam testamentum vitient. *l. 17. C. de Testament. Alciat. 5. Paradox. 16. Scip. Gentil. 11. de*



*tr. de solennit. t. 10.* omninò tamen cavendum, ne talia statim in assiduam convertantur Iurisdictionem, & ex eorundem defectu legitimæ dispositiones impugnentur & evertantur: sola enim solennia jure sancita præcisè necessaria sunt; non autem æquè alia, licet solita & usitata. *arg. l. 12. §. pen. iunct. l. 22. ff. de administ. Tut.*

9. Unde in hac de solennibus Testamentariis quæstione, à multis sæpè, cum primis verò à fastidiosis Notariis, sub auctoritate muneris, & nescio quâ juris scientiæ præsumptione periculose errari, quotidiana experientia contestatur, & graviter indignatur Dn. D. Hahn. *in obs. Wesemb. Tit. ff. de Codicill. n. 5.* adèd in dies superstiosè solennitates solennitatibus cumulantur, & diligentia illa, quæ jam antea visa nimia & misera, redditur omnium miserrima & admodum periculosa. conferantur quæ Speculator somniat solennia in ejusd. *specul. Tit. de Instrum. Edit. §. compendiosè. n. 40.* quibus alia insuper addidit Roland. à valle *1. conf. 36. n. 4. ad. Speckhan. 1. quæst. 49.*

10. Nobis cum non vacet, omnia horum evannare acera, seligemus hac vicè tantùm & lustrabimus ea solennia, quæ jurè sancita & testatoribus observare imperata sunt, tam in Testamento quod ex scripto, quàm eo, quod ex nuncupatione constat: Quæ cum commodè dividi possint in *communia* utriusque Testamento, & *peculiaris* alterutri tantùm: singula strictim hoc ordine lustrabimus.

11. Et quidem *solennia* utriusque Testamento *communia* concernunt vel ipsum testandi actum: vel personas in eodem intervenientes. Solennitas quæ actum ipsum concernit, consistit in eo, ut hic sit *continuus*, h. e. ut uno contextu & eodem tempore, omnia quæ ad Testamenti ordinationem requiruntur, peragantur. §. 3. *l. de Testam. ordin. ibi. uno eodemque tempore.* & paulò post. *uno contextu. l. 21. §. 3. ff. qui Testam. fac. poss. ibi uno contextu actus testari oportet: nullus actus alienus à Testamento immisceatur, interveniat. l. 21. l. 28. C. de Testam.* ubi Imp. explicatius id proponit: imprimis per contextum hunc & actum continuum intelligendum esse, non momentaneum quid, sed successivum: quod & ipsa vocabuli significatio designat & indigitat. Unde si fortè necessitas naturæ, aut morbi ratio Testatori vel cuidam Testium brevem quandam moram ad secessionem à conventu reliquorum imperaret: aut aliud quoddam necessa-

cessa-



cellarium, ipsum testandi actum concernens, incideret, brevis illa mora non vitaret Testamentum. *d.l. 28. C. de Testam.* ubi plures casus contingentes annotantur: quibus addimus, quod cum hodie ut plurimum signacula ceræ Hispanicæ impressa apponi soleant, atque ob hoc lumine opus sit, contextus talis & æquus continuitas nullatenus intelligatur interrupta, si lumine ad usum talem appposito, fortè extincto, quispiam testiū, ut id rursus accenderet, paulisper secederet: quamvis, si etiam ad hoc præcavendum, (uti solitum est) duo vel plura lumina actui huic celebrando accensa adhibeantur, ut uno fortè extincto, alterum eidem peragendo præsto sit & inservire possit, non improbemus, saltem ad tollendam falsi suspicionem: quod autem præcisè tria lumina, si noctis tempore Testamentū conficiendum, adhibenda sint, commentum superstitionis Notariorū dicimus, illosque, qui ad id fulciendum *l. 1. §. 10. ff. de ventr. insp. inducunt*, ut Decius. *consil. 50.* Ripa, *tr. de temp. nocturn. c. 141. n. 3.* iudicio suo abuti: sufficit enim tot adhibere, ut testatoris & testium personæ cerni & dignosci possint. Meyrer. *tr. de Testam. success. 3. Tit. 4. n. 36.* An verò contractus, Testamenti ordinandi actu celebratus solennitatem hanc interrumpat? aut in Testamento Testator contractum facere possit? videre est apud Hilfig. *6. D. E. 8. lit. D.* Treutl. *2. disp. 10. th. 5. lit. h.* & ibi Bachov. Hunn. Bronchorst. *3. assert. 22.* Andr. Gerhard. *tr. de Testam. disput. 2. th. 66.* Dn. D. Locamer *quest. iust. 216.*

12. Personæ, quæ propter solennia communia adhibentur, sunt Testes, quos licet omninò testamentum requirat, non tamen omnes indistinctè admittit. Cum enim res sit maximi momenti, etiam testes illi seligendi, in quos nulla facilè fraudis suspicio cadit. *l. ult. C. de fideicom. l. 8. in fin. C. qui test. fac.* Ideò in his præcipuè requiritur 1. Idoneitas 2. rogatio 3. numerus, & denique 4. præsentia, h. e. ut in conspectu Testatoris suo defungantur officio: confer. Andr. Gerhard. *d. 2. de Testam. 26. per §. 6. & seqq. 1. de Testam. fac. ord. l. 9. C. de Testament.*

13. Et quidem 1. singulorum idoneitas, consistit in habilitate & facultate dicendi testimonium: Quam quidem omnes habere præsumuntur, nisi ademptio seu interdictio specialiter probeatur. *l. 1. §. 1. ff. de Testib. Nov. 90. in præfat. Recess. Imp. de Ao. 1512. tit. von Testamenten.* Adempta autem intelligitur. 1. omnibus illis, qui-

B

bus





bus cum non est Testamenti factio. §. 6. I. de Testam. ordinand. Sed  
 quænam? an passiva? aut activa? an utraque? quod tutius est af-  
 ferere. Licet enim magis propriè cum aliquo testamenti factio  
 esse dicatur, qui heres institui & ex Testamento aliquid capere pot-  
 est. §. 24. I. de legat. §. servus. 2. & 3. I. de hered. instit. §. 4. in pr. I. de hered.  
 qual. & differ. l. 82. §. 2. ff. de legat. 2. l. 5. ff. de servitut. legat. non impro-  
 priè tamen idem etiam de eo, qui Testamentum facere potest, præ-  
 dicatur, scil. ipso cum esse Testamenti factionem. uti apparet ex  
 d. §. 4. I. de hered. qual. & different. Saltem de utroque dicitur, quod  
 habeant Testamenti factionem. d. §. 4. in fin. & passim. tantoque mi-  
 nus conveniebat Vinnio in comm. Academ. & forens. ad d. §. 6. I. de Te-  
 Stam. ordin. verba d. §. 6. I. de Testam. ordin. captare: qui ignorare non  
 debebat, quod in l. 18. in fin. pr. ff. qui Test. fac. poss. Ictus Ulpianus re-  
 gulam hanc sic proponat, ibi: Testis ad Testamentum adhiberi  
 non potest, qui Testamenti factionem non habet. Verum etiam  
 quod ex illa nihil aliud colligi possit, quàm, quod ii testes esse pos-  
 sint in Testamento, qui sui juris, Testamentum facere possunt:  
 aut quod, quicumque sui juris verentur testamentum facere, ii et-  
 iam regulariter verentur esse testes in testamento. Hanc enim ma-  
 jorem propositionem Enthymema illius legis præsupponit: cui  
 deinde uti Ictus subjicit: prodigus non habet testamenti factio-  
 nem. E. nec testis adhiberi ad Testamentum poterit. Ita rectè ex  
 eadem hac ratione repellitur non tantum prodigus, h. e. is, cui  
 bonis interdictum est. d. l. 18. verum etiam servus, qui aliàs planè  
 nullam habet ullius juris Civilis communionem. d. §. 6. l. 20. §. 7. ff.  
 qui Testam. fac. poss. l. 32. ff. de R. I. furiosus. l. 20. §. 4. ff. eod. l. 1. §. 8. de bon.  
 poss. sec. tabb. impubes, d. §. 6. I. de Testam. ordinand. l. 19. ff. qui testam.  
 fac. poss. surdus, mutus. §. 6. I. de Testam. ord. l. 10. C. d. t. Hottom. ad §.  
 3. quib. non est perm. fac. Testam. l. 6. §. 1. ff. eod. & omnes ii, quos leges  
 jubent intestabiles esse. d. §. 6. h. e. quibus facultas testandi, & fe-  
 rendi testimonium adempta est. l. 18. §. 1. ff. qui testam. fac. ibi. Ergò  
 nec Testamentum facere poterit: nec ad testamentum sive testimonium  
 adhiberi. l. 26. ff. eod. ibi. cum lege quis iubetur esse intestabilis, eò pertinet,  
 ne eius testimonium recipiatur: & eò amplius, ne ipsi (testatori) dicatur  
 testimonium. Siquidem, ut obiter hic notemus, intestabilis quis-  
 piam in jure diversimodè dicitur, & quidem interdum strictius, qui  
 nec testamenta condere, nec quidpiam ex Testamento capere pot-  
 est,



est, neque etiam testimonium perhibere. *l. 21. C. de heret. iunct. aurb. credentes C. eod.* Interdum strictè, qui nec testimonium ferre, nec testamentum facere; sed tamen ex testamento capere potest. *l. 18. §. 1. ff. d. t. l. 21. ff. de Testib.* & denique latius, qui ad testimonium tantum ferendum sunt minus idonei, sive, qui testimonii dicendi jus non habent. quæ si benè expendisset Vinnius, fallacia compositionis & divisionis non tam facilè deceptus fuisset.

14 Præter autem jam notatam rationem & regulam, etiam ex aliis causis nonnulli, quibus licet aliàs sit Testamenti factio, tamen testes adhiberi in Testamento prohibentur. Harum alia est communis, aliæ speciales. Communis est illa latius dicta, intestabilitas, h. e. quævis alia causa, ob quam quis etiam iudicio testis esse vetatur. *l. 3. §. 5. ff. de Testib.* Quisquis enim in iudicio prohibetur esse testis, is etiam nequit esse testis in Testamento. *l. 20. §. 5. ff. qui testam. fac. poss.* (quem textum omninò negativè legendum esse, ipsa concludendi ratio & scopus ostendit) confer. V. Guil. Forster. in *Interpret. Iur. 1. cap. 2. pag. 32.* ut sunt infamia juris notati. *ii. ff. C. de Testib.*

15. Specialis prohibendi causa militat. I. in fœminis, quæ licet Testamenta facere & ex illis capere: etiam in iudicio testes esse possint, tam in civilibus, quàm criminalibus; *l. 3. §. 5. l. 18. ff. de Testib. l. 2. ff. de accusat.* tamen à consortio Testium Testamentariorum prohibentur. *§. 6. l. de Testam. ordinand. l. 20. §. 6. ff. qui test. fac. poss.* Sanè nolumus hic fusius in prohibitionis hujus rationem inquirere, cum ipsamet ex historia juris evidens sit: Etenim antiquissimo jure Quiritum, ad Testamentum ordinandum fœminas non fuisse adhibitas, extra omnem dubitationis aleam positum est, utpote quæ jus Comitiorum non habebant: quodque in emancipationibus, quæ fiebant in Testamento per æs & libram, tantum masculi testes fuerint adhibiti, repræsentantes quinque classes, in quas populus Romanus divisus erat, uti docet Dn. D. Ludvvel. *ad §. 6. l. de Testam. ord.* quod postea mutatum fuisse, cum ex nullo juris loco appareat, tantò minus mutatum credimus, quantò magis fœminas à virilibus officiis & comitiis ipsa sexus pudicitia arcet. *arg. l. 1. §. 5. ff. de postuland.* ne dicamus infirmum instabileque esse mulierum consilium, quod facilè perverti potest. *pr. l. quib. alien. lic. vel non.* An autem etiam Iure Canonico mulier testis in Testamento esse pro-



hibita sit? affirmantium sententiam, quatenus jus Canonicum idem cum Iure Civili disponere dicitur, in quo eidem expressè non repugnat: nihil autem I. Civil. contrarium eodem statutum legatur, veriore dicimus, cum Claro. §. *Testam. quest. 55. n. 3.* & ibi Harprecht. n. 10. Farinac. *de Testib. quest. 59. n. 50.* Fachin. 13. *controv. 71.* quicquid etiam in contrarium proponant & disputent Rittershuf. 5. *diff. Iur. Civil. & Canon. 2.* Vasquez. 2. *de success. creat. §. 12. n. 42.*

16. 2. in Cœcis: quod enim Cœcus in Testamento testis esse non possit, communis est opinio: quæ juvatur eo, quod ea testis debeat esse conditio, ut Testamentum subscribere, subscriptionem & sigillum aliquando recognoscere. *l. 1. §. ult. l. 4. l. 7. ff. Testam. quem ad aper.* imprimis verò Testatorem præsentem conspiciere & dignoscere queat. *l. 9. C. de Testam. & ibi Gothofr. in not. l. f.* quæ certè à cœco præstari neutiquam possunt.

17. Atque qualitas hæc, sive testis Testamentarii conditio, inspicienda non tempore mortis testatoris, sed Testamenti conditi. *l. 22. §. 1. ff. qui test. fac. poss.* quamvis alias ad effectum hunc sustinendi testamenti, nihil intersit, revera illa adfuerit, an putativè tantum, h. e. sufficit (quod contra rigorem juris, favore testamentorum ex benignitate Principum obtinuit, *d. §. 7.*) testem tempore testamenti conditi habitum fuisse idoneum; consensu omnium. §. 7. *l. de Testam. ordin.* Sed quorum omnium? an tantum testium Testamentariorum? an omnium in universo orbe hominum? Resp. universale hoc syncategorema, nec ad testes tantum testamentarios restringendum: nec ad infinitatem usque, sive omnes totius mundi homines extendendum: Sed synecdochicè accipiendum, & secundum usum loquendi communem, nempe omnes, vulgo scil. cum quibus is versatus est, ita putasse, adè ut nemo fuerit, qui eidem status controversiam movisset, ut habent verba *d. §. 7.* & implicatam universalitatem explicant. confer. Bachov. *ad. d. §. 7.* Vinnius *eod.* Sichard. *in comm. ad l. 1. C. de Testam.* Quippe quod verbis hisce ad infinitatem extensis, favor tali Testamento à Principibus indultus, vix suum sortiturus esset effectum: cum semper in incerto & suspenso relinqueretur Testamentum, ne aliquis aliquando forte reperiretur, qui conditionem ejusdem scivisset vel non: atque exinde vel valeat vel infirmetur Testamentum. Hoc quidem



quidem jure certum est, quod is, qui se super putativa habilitate, h. e. quod testis quispiam communi omnium opinione pro libero habitus fuerit intentionem suam fundat, illud omnino probare teneatur: modò pars adversa prius docuerit, testem hunc ante testamentum factum revera servum fuisse: quo ipso in adversarium onus probandi suam exceptionem, aut tempore testamenti conditi pro libero reputatus fuerit, rejicit: cum tamdiu standum regulæ, donec probetur exceptio. Cardinal. Mantica 5. de coniectur. ult. vol. Tit. 15. n. 31. Wesemb. 1. conf. 1. n. 11. Sichard. in Comm. Cod. ad d. l. 1. n. 8. Tantùm verò abest, ut etiam quis intentionem fundatam habeat, atque onus probandi exceptionem suam in adversarium devolvat, qui tantùm probat, testem hoc tempore, quo de impugnando testamento agitur, inhabilem fuisse: nec enim circa eam qualitatem, quæ planè extra rem est, neque eidem naturaliter inhæret, de præsentis in præteritum præsumitur. Cardin. Mantica. 2. de coniectur. ult. volunt. tit. 10. n. 8. Et sanè hætenus perinde est, unus an plures ex testibus, imò omnes inhabiles postea deprehensi fuerint: Licet enim in d. §. 7. Imp. loquatur in numero singulari. ibi: cum aliquis. & circa fin. hic testis: eadem tamen etiam in pluribus & omnibus militat ratio, fac. l. 1. C. de Testam. ibi. liberi an servi: ne dicamus, vocem singularem apud Latinos interdum etiam plures significare l. 158. ff. de V. s. & ibi Alb. Gentil. Sichard. ad d. l. 1. C. de Testam. n. 2. quicquid etiam Bachov. Vinnius, Ludvvell. ad d. §. 7. dubitent.

18. Sequitur modus adhibendi testes, qui consistit in eorundem requisitione, ut nempe sint convocati sive rogati. l. 21. §. 2. ff. qui test. fac. poss. l. 21. C. de Testam. & quidem non simpliciter, sed in specie ad hoc, ut Testamentum ordinetur, atque ipsi de eodem aliquando testimonium, si opus fuerit, perhibeant. C. 1. A. 28. ff. 1. th. 13. adeò, ut nihil etiam intersit, si ex alia quadam causa, unus vel alter advenerit, modò postea & ante testandi actum præsentis certiores reddantur, & admoneantur, se testes adhiberi ad Testamentum. d. l. 21. §. 2. fac. d. Recept. Imp. de Ao. 1512. ibi. es ist auch nicht als ein Noth/ daß die Zeugen gebeten / sondern in sonderheit zu auffrichtung des Testaments beruffen vnd genommen / oder auff's wenigst wo sie vngeschickter ding / vberuffen zugegen wäsen / darzu ermahnet vnd besprochen werden. Sanè à quo rogentur & compelluntur, à Testatore vel ejus nomine & voluntate (quæ in dubio ex



præsentia & patientia præsumitur. Mantica 2. de coniect. ult. volunt.  
 1. n. 1. Sichard. ad d. l. 1. C. de Testam.) à Notario quodam aut alio  
 quocunque, ad Testamenti perfectionem nihil confert. Leges  
 enim, cum non determinant, à quo Testes rogari debeant, sed in-  
 definite loquantur, generaliter quoque sunt accipiendæ. Menoch.  
 4. præsumpt. 8. n. 12. Mascard. 3. de probat. 1354. n. 7. Qui rogatus, li-  
 cet ex solâ testium præsentia probatâ non præsumatur intervenis-  
 se, utpote quæ non intrinseca, sed extrinseca quædam sit solenni-  
 tas: Vinnius ad §. 3. l. de Testam. ordin. n. 6. Bachov. ad Treutl. 2. 10. th.  
 5. lit. b. Grassi. §. Testament. quest. 58. n. 6. ex quo Br. in l. divus 24. in fin.  
 ff. de Testam. milit. insuper infert: etsi testes deponant, sese Titium  
 audivisse hunc vel illum heredem nuncupasse, atque instituisse:  
 nisi æquè etiam simul asserant, ipsos rogatos ad hoc fuisse adhibitos  
 nihil eos probare: monetque mente esse tenendum, quando aliquis  
 Testamentum per testes probare vult, ut circa hoc cautus sit in ar-  
 ticulis formandis. Attamen, si testes præsentate Testatore & per-  
 mittente, Testamentum signaverint & subscripserint, humanius  
 esse, favore ultimæ voluntatis rogationem præsumere tradunt,  
 Wesemb. 3. cons. 130. n. 14. & n. 130. Boer. decis. 34. n. 4. Treutl. d. 2. disp.  
 10. th. 5. lit. b. & ibi Bachov. Clarus. §. Testamentum quest. 58. n. 2. &  
 ibi Harprecht.

19. Cui accedit 3. numerus testium, qui est septenarius: Nam  
 coram septem testibus Testamentum fieri debet. §. 2. & 3. l. de Te-  
 stam. ordin. l. 21. l. 26. l. 28. §. 1. C. de Testam. l. 8. C. qui Testam. fac. poss. d.  
 Recess. Imp. de Anno 1512. Tit. von Testamenten §. vnd sollen. ibi. In  
 auffrichtungen Testamenten / auff wenigst sieben Zeugen nöthig  
 seind. nisi ubi vel lege, ut in Testamento rusticorum. l. ult. C. de Te-  
 stam. d. Recess. Imp. de Ao. 1512. Tit. von Testamenten §. vnd sollen die  
 Notarien. v. Item vnd auff dem Gar / wo Bawersleut Testament  
 machen. militum. tt. l. ff. & C. de Test. milit. parentum inter liberos.  
 l. 21. §. 1. C. de Test. vel statuto aut consuetudine numerus hic est im-  
 minutus. l. 9. C. de Testam. milit. Excell. Dn. Præses d. l. ubi plenius hoc  
 deducit. An verò numerus hic septenarius l. Canonico sublatus sit?  
 anceps questio est. conferatur sapius laudatus Dn. Præses d. 2. de suc-  
 cess. Testam. §. in fin. Nos hic in recensendis variis variorum de eadè o-  
 pinionibus nolumus esse multi: minus superstitiosi in perscrutanda  
 Pontificis ratione, & an per c. 10. & 11. x. de Testam. hanc Iuris Civilis  
 solen-



solennitatem abolere voluerit, nec ne? potius sufficiat nobis id certò novisse, abrogationem hanc etiam si Pontifex eam intenderit, etiam ex defectu potestatis, ipso jure inanem & nullam esse: undè ipsi Pontificii Icti, quod in terris Imperii Ius Canon: non obtineat, ingenuè confitentur, conf. Canis. 3. tit. 18. lit. a. Clarus in §. Testam. quest. 57. & ibi Harprecht. quemadmodum etiam superiori seculo, Imp. Maximil. 1. Recess. Imp. de Ao. 1512. tit. von Testamenten / Iure Canonico non attento, Iuris Civ. observationem repetiit & mandavit.

20. Superest 4. ut *Testes presentes* omnes sint in conspectu Testatoris, & usque suprema huiusmodi contestatio peracta h. e. testamentum totum absolutum, non inviti permaneant. l. 20. §. 8. & ult. ff. qui testam. fac. poss. quæ solennitas speciatim remissa est, in testamento tempore pestis condendo, per l. 8. C. de Testam. quam Græci sic explicare videntur: *testes si metuerint propius ad Testatorem accedere, ne morbi contagione inficiantur, permittitur illis, ut separatim ab eo Testamentum signent.* Vid. Ecloga Basil. lib. 25. tit. 2. c. 7. Cujac. 26. obs. 10. magis autem genuina d. l. 8. interpretatio hæc esse videtur, nempe quod testator tempore pestis, ubi plures simul convenire timor contagionis deterret, atque adeo oppressos tenet, numerum testium conveniendum non teneatur in eundem locum convocare, sed sufficere, si singuli adeundo separatim testamentum signent & subscribant: à qua quàm sit aliena illa vulgi Interpp. traditio, quod per hanc legem permissum sit testatori peste correpto coràm duobus testibus testari, pluribus demonstravit Dn. Præses d. l.

21. An autem Notarius adhibitus, simul officio testis defungi possit? solent Notarii in ordinandis Testamentis communiter à Testatoribus adhiberi, non tantùm ut diligenter observent, quæ hic peraguntur, & ne quid peragendum sive ex solennitatibus quædam omittatur, ob quem defectum postea Testamentum everti possit, procurent. Conf. d. Recess. Imp. de Anno 1512. tit. von Testamenten / in pr. & fin. ubi gravi sub comminatione ab Imp. hoc ipsis injungitur. Verùm etiam & imprimis ut actu testandi absoluto, statim Testes super sigillis apposis & subscriptionibus suis, ut eas recognoscant, requirant, ac desuper instrumentum, adhibitis testibus, conficiant. Inde quæstio hæc orta: an Notarius hoc suo  
simul





simul & Testis Testamentarii officio defungi possit? quæ tamen ex antea dictis suam decisionem habet, siquidem, utrum testis in Testamento adhibitus Notarius sit vel non, nihil interest, cum Notarius nullibi inter prohibitos recenseatur, modò cætera decenter fuerint observata. Quando verò ideò adhibetur, ut quod dictum, super actis & actitatis, & imprimis facta sigillorum & subscriptionis recognitione instrumentum conficiat, omninò arbitramur, eundem intra numerum testium esse non posse. Hæc de solennitatibus Testamentariis communibus.

22. *Propria* solennitates aliæ sunt Testamenti scripti: aliæ Nuncupativi. Scripti Testamenti solennitates consistunt vel in ipsa Testamenti scriptura in se considerata, vel ejusdem accessoriis: quæ occupantur circa testamenti scriptionem, & testium subscriptionem atque subsignationem sive sigillationem.

23. Ipsam scripturam quod attinet, ut per ipsam heredis institutio (non æquè heredis nomen, *l. 10. ff. de condit. Instit.*) designetur *l. 2. l. 29. C. de Testam.* atque hoc ipso imprimis hic modus testandi, ab eo, quo heredis institutio per nuncupationem palàm enunciat, & indicatur differt. Gæddeus 3. *conf. Marpurg. 28. n. 8.*

24. A quo autem scribatur Testamentum, à Testatore, Notario aut alio quocunque, modò scribere non prohibito, *tr. C. de his qui sibi adscrib. in Testam.* nihil ad solennitatem Testamenti, ejusque perfectionem confert: nullibi enim definitur, quæ personæ in conscribendis Testamenti tabulis adhiberi debeant. Lege verò aliquid pro solennitate non exigente, nostrum non est, id exigere: sanè si à tertio quopiam Testamentum scriptum sit, jura insuper requirunt, ut id postea (1.) Testatori iterum prælegatur. *l. 1. §. 1. ff. de legat. 3. l. 29. ff. qui testam. fac. poss. Recess. Imp. de Ao. 1512. Tit. von Testamenten §. Weiter so ist auch.* hocque adèò necessarium esse tradit Dauth. *tr. de Testament. tit. de scriptur. Testam. n. 404. & ibi alleg. Duaren. ad tit. ff. qui Testam. fac. poss. c. de effect. solenni.* ut prælectione hæc ommissa, quasi deficiat ipsa Testatoris voluntas, Testamentum pro nullo habeatur. Verùm quod præsentibus testibus, hisque auscultantibus prælegatur, tantò minus necessarium est in testamento scripto, quanto evidentius omnibus est, hunc ipsum ob finem homines Testamenta sua in scriptis confici curare, ne eorum ultima voluntas & in testamento disposita, quamdiu in vita superstites



stites sunt, aliis innotescant: unde etiam Testamenta talia clausa  
 & mystica dici solent. *fac. l. 21. C. de Testam. d. Recels. Imp. §. Die*  
*Form eines Testaments. ibi. die in ihrem Leben ihren letzten Willen*  
*niemand wissen lassen wollen. Carpz. in Jurispr. for. 3. Const. 3. defin. 2.*  
*ut (2.) à Testatore ipso propria manu, hoc suum testamentum esse,*  
*v. c. Ich N. N. bekenne mit dieser meiner eigenen Hand vnter-*  
*schrift/ daß alles so hierinn geschrieben/ Mein Testament vnd leister*  
*liebster Wille seye/ so ich nach meine in Eodlichen abgang/ in mas-*  
*sen solcher verfast / gehalten zu werden begehre. Act. & c. aut si scri-*  
*bere nesciat, ab alio quodam, ultra septem rogatos testes adhibito,*  
*eius nomine & voluntate, & quidem in praesentia testium subscri-*  
*batur v. c. Ich N. N. bekenne hiermit/ daß vff freundlich vnd fleissig*  
*begehren des N. N. diß sein verschlossen Testament vnd leisten Wil-*  
*len / weilen er selber schreibens nicht bericht / ich an seiner Statt /*  
*mit eigener Hand vnterscriben/ vnd zur Brfund mein gewöhnlich*  
*Innsiegel/ neben vnd in beysein hie nach vnterscribenen Bezeugen*  
*vorgetruckt/ so geschehen & c. l. 21. l. 28. §. 1. C. de Testam. d. Recell. Imp.*  
*de Ao. 1512. §. Weiter so ist auch. C. I. A. 28. ff. 1. th. 29. ut vel haecenus*  
*etiam libello hoc sive tabulis hisce inscripta, reverà Testatoris ulti-*  
*mam voluntatem esse tanto evidentius constet. Subscriptio enim*  
*hoc praestat, ut qui subscripsit, idem omnia reliqua quoq; scripsisse*  
*censeat. Dauth. tr. de Testam. d. l. n. 28. Clarus. §. Testamentum. q.*  
*14. n. 1. & ibi Harprecht. paria enim habentur, propria manu ali-*  
*quid totum scribere: & subscribere manu propria alterius scriptu-*  
*rae. d. l. 28. §. 1. C. de Testam. Damhouder. in loc. comm. v. scribere. & ibi*  
*alleg. Menoch. de A. I. Q. 2. cas. 113. n. 10. Richter. 1. decis. 201. n. 14.*  
*Item subscribere manu propria, & subscribere alium ipsius nomi-*  
*ne. l. 20. C. de donat. & ibi Bl. Salicer. Damhouder. d. loc. commun. v. sub-*  
*scribere. quamvis si Testator totum Testamentum scripserit, ejus-*  
*dem insuper subscriptione opus non sit. Richter. d. 1. decis. 29. n. 14.*  
*per l. 28. §. 1. C. de Test. An autem hic, qui sic pro Testatore subscri-*  
*bit, in censu testium Testamentariorum, habendus, ita ut in illo eo-*  
*rundem requisitorum, quæ in aliis Testibus Testamentariis jure*  
*exiguntur, observatio necessaria sit? sæpius, nec sine altercatione*  
*fuit disputatum. Nobis si liberum inter tantos arbitrari, dicimus*  
*quod cum nullibi, in jure eorundem solennium observatio, quæ*

C

in Te-



in Testibus Testamentariis jure præscripta. pariter à tali subscri-  
ptore requirantur, sufficiat, eum revera fuisse adhibitum, per *l. 21. C.  
de Testam. v. quod si literas.* ubi simpliciter tantum subscriptor indigi-  
tatur: & licet in *d. Recess. Imp. nun die Form.* expressè appelletur,  
der achte Zeuge, attamen cum *d. §. ex d. l. 21.* verbotenus penè de sum-  
ptus sit, secundum eandem omninò rectius illum explicamus & in-  
terpretamur, per *l. 26. l. 27. l. 28. ff. de leg.* ne verba *Imp. popularia* &  
ad vulgarem, communemque loquendi morem accommodata, ca-  
ptare, & sic jus Civ. calumniari velle videamur. add. *Mantica. 2.  
coniect. ult. vol. Tit. 11. n. 4. ubi in terminis hisce docet, quod officium hoc,  
pro Testatore Testamentum subscribere, à quolibet expediri possit, etiam  
ipso herede instituto.*

24. A Testibus in Testamento scripto adhibendis præcisè requi-  
ritur 1. eorundè subscriptio, §. 2. sigillorù appositio, sive signatio, *d. l.  
21. C. de Test.* & *d. Recess. Imp. §. Nun die Form.* Et quidem quod sub-  
scriptionem spectat, non tantum singuli, *ἰδιοχειρως*, proprio chiro-  
grapho (nec enim subscriptio hæc alteri, puta Notario committi,  
aut ab hoc alterius nomine fieri potest; *Diss. Freuth. 2. 10. §. ltr. d.  
Vultei. ad §. 3. l. de Testam. ordinand. n. 34.* nisi quod aliquatenus in  
Testamenti Rusticanorum, & locis illis, ubi non est copia literato-  
rum remissa sit. *l. ult. C. de Testament. Maul. tr. d. ult. vol. Tit. 8. n. 2.*  
quæ etiam exceptio regulam hanc tantò fortius in reliquis non ex-  
ceptis firmat, per notissima juris: Verum etiam, quis & cujus Te-  
stamentum signaverit, annotare debent. e. g. Ego NN. hoc Titii  
Testamentum, in illius fidem, rogatus testis, subscripsi, signavi. *l. 22.  
§. 4. l. 30. ff. qui Testam. fac. poss.* (in qua *d. l. 30. Salmas. tr. de modo usur.  
6. 11. p. 437. frustra lectionem sollicitat.*) *d. l. 21. pr. C. de Testament.* non  
autem æquè cætera Testamenti contenta, ceu quæ tabulis Testa-  
toris, alteriusve manu conscriptis, consignatis & occlusis ad sub-  
scribendum & signandum oblatis, communius ignorant, summa-  
tim indicare. Minus necesse est, ut præter nomen, cognomenque  
suum etiam patriam addant, aut tempus, locumve *Menoch. Consil.  
§ 75. n. 1. Speckhan. 2. quest. iur. 49. n. 9.* cæterorumque testium  
mentionem faciant, quod vult *Joh. Köppen. 1. obs. 109. n. 2.* cum nul-  
libi jure talia exigantur, ut ut, si addantur, Testamento non no-  
ceant. v. g. *Joh. N. N. von zc. besenne daß auff vorgemeld datum*  
(si scil.



(si scil. præcedens subscriptio vel Testatoris vel testis locum & tempus annotata contineat) vorbesagter NN. gesundes verstands &c. gegenwärtig verschlossen libell. in bey sein Mein vnd nachbenannter Zeugen, produciret vnd für seinen letzten vnd liebsten willen bekant: zu dessen bestättigung ich auch / als hierzu insonderheit erbettener Zeuge / solches mit eigenen Händen unterschrieben / vnd mein gewöhnlich Innsiegel vorgedruckt.

25. Signatio autem testium etiam alieno annulo expediri potest. §. 3. & §. 1. de Testam. ordin. l. 22. §. 2. ff. qui Testam. fac. poss. d. Re-cess. Imp. Tit. von Testamenten pr. & §. Nun die Form. ibi. es mögen auch je einer oder mehr / so nicht eigen signet hetten / eines oder mehr der anderen Signeten sich hierinnen gebrauchen: nec opus est ut talis testis alieno annulo utens, hujus faciat mentionem in subscriptione: cū hoc quoq; nullā lege exigatur, Bachov. ad §. 5. l. de Test. ord. Ludvvel. Vinn. eod. Sichard. ad d. l. 12. C. de Testament. quamvis ad præcavendam omnem suspicionem hujus mentionem facere non tam tutius, quàm receptius esse testetur Schneidvv. ad d. §. 5. l. de Testam. ordin. An autem præcisè annulus signatorius requiratur: an verò alio quodam instrumento, cui æquè ac annulo character impressus, signare liceat? inter Interpp. Juris Iustiniani non dum expeditum est: Cujac. 14. obs. 11. Charond. 2. verisim. 10. & alii præcisè annulum requirunt: & hoc cum aliis inter Juris Civ. solennitates & scrupulosam subtilitatem referunt. Alii textum l. 22. §. 5. ff. qui Testam. fac. poss. sollicitant, & negativa inserta, legi malunt; non tantum. ut Hottom. ad d. §. 5. & 1. obs. 21. Salmaf. d. tr. de usur. c. 11. p. 456. Verum uti textuum correctiones sunt admodum invidiosæ, ita illa, quæ fingitur subtilitas, omni caret ratione & usu: quid enim, uti prudenter arguit Imp. d. §. 5. si omnium septem testium annuli una esset sculpturæ forma & idem signum imprimerent? & quâ ratione ex intervallo id constare poterit, utrum eadem forma ex alio impresso? Verior itaque & æquior illorum sententia, quod in d. l. 22. §. 5. nullatenus removeatur tale impressum, quo signum non minus quàm annulo imprimi potest, sive, cui talis, qualis signatorio annulo insculpta est imago: sed tantum signum fortuitum, clavi fortè, vel nummo, aut alio tali factum. *Polzeichen / Bemærck:* quippe quod inter solennitates Testamen-



to adhibendas in Edicto Prætoris & constitutionibus, non tam annuli, quam potius signacula numerentur, die Signeten/Siegel/Pittschafft/ non autem SiegelRing/Pittschaffring/ uti etiam Testamenta non figura Geometrica, orbiculari, aliave, sed imagine & signo signari dicuntur: nec annuli forma est, quæ signum imprimit, sed gemmæ, sive *oppayides*, in annuli funda, pala, seu sphragidophylacio, & cui imago vel character quidam signandi causa insculptus est: illa itaque gemma, illud aposphragisma an inclusum sit annulo, an instrumento alii ad hoc facto, ut eo signemus, quid quaesumus, interest? quam sententiam tantò tutiores propugnemus, quod ipse Imp. Maximil. 1. in sæpè all. Recess. Imp. de Anno. 1512. Tit. von Testamenten/ §. Nun die Form. d. l. 22. §. 5. hoc modo interpretetur, generali vocabulo, Signeten/quo etiam non annuli comprehenduntur, idque usus confirmat. Mynsing. & Dd. *comm. ad d. §. 5.*

26. Peculiare solenne Testamenti Nuncupativi, quodque in eo omnem solennitatum numerum absolvit, est heredis instituti à Testatore, vivà voce & palàm, coràm septem Testibus rogatis, nominatim aut indubitabili aliquo signo facta demonstratio. l. 9. §. 3. l. 58. ff. de hered. instit. sive nuncupatio. l. 21. ff. qui Testam. fac. poss. ibi. heredes palam, h. e. expressis verbis, ut exaudiri possint, nuncupandi sunt. §. ult. l. de Testam. ordin. ibi. suà voluntate coram eis nuncupata. l. 26. C. de Testam. ibi. voluntatem suam omnibus simul manifestari, significantis ad quos, substantiam suam pervenire velit. & c. l. 29. C. eod. ibi. voce coràm nuncupatum. & passim. C. I. A. d. l. th. 22.

27. Unde falluntur, quicumque Testamentum, quod vocant, implicitum sive relativum, speciem Testamenti Nuncupativi faciunt, scil. coràm Testibus Testatore dicente: *hoc Testamentum meum esse assero: scriptumque in hac charta heredem meum esse volo, nuncupo: huius vos, ut Testes sitis, rogo:* manifestum siquidem est, ob defectum antea notatæ solennitatis Nuncupativi Testamenti propriæ, talem dispositionem & contestationem injustam esse: imprimis etiam novissimo Iuri, Constit. Imp. sæpè alleg. de Anno 1512. Tit. von Testamenten/ directò contrariam: quo de Testamento fufius agunt Stephan Gratian. 5. discept. forens. 973. per tt. C. I. A. 28. ff. 1. th. 28. & Dn. Præses Promotor meus colendus. 6. Isagog. Justin. Tit. 10. n. 33. & ibi laudati.

17. Paul-



28. Pariter quoque & illi falluntur, qui Testamentum in scriptis celebratum & confectum ob defectum e. g. subscriptionis vel ob signationis Testium, unius vel plurium, in vim Nuncupativi valere & subsistere, opinantur: Siquidem hoc quoque de jure esse non posse, ex jam antea adducta juris ratione patet. Ita enim omnino est, imitatur Ius civile naturam, quæ uti non fert, ut species animalium transmutentur in alias novas: Ita nec jus Civile suarum creaturarum, inter quas Testamentum solenne scriptum & Nuncupativum, metamorphosin admittit. C. I. A. 28. ff. 1. th. 22. Carpzov. in Jurisprud. forens. 3. const. 3. desin. 3. ubi secundum hanc sententiam ICtos Electorales Lipsienses respondisse testatur.

29. Hæ sunt præcipuæ illæ solennitates, quas Testatoribus leges præscribere, & ab iis in Testamento solenni adornando præcisè & strictè observatas voluerunt & sanciverunt. fac. l. 12. C. de Testam. l. 11. §. 1. ff. de legat. 1. nec enim testamentum est sola Testatoris voluntas, sive sententia; sed iusta. l. 1. ff. qui Testam. fac. poss. h. e. ritè & solenniter facta, secundum regulas juris. l. 4. ff. eod. quarum regina & directrix est illa notissima, quæ habetur in l. nemo. 55. ff. de legat. 1. Nemo cavere potest aut facere, ne leges in suo Testamento locum habeant: Et frustra sunt, quicunque lapsus decennii, defectum solennitatum aliquando suppleturum persuasum habent & præstolantur. Vid. Gerhard. 9. de Testament. 7.

30. Effectus autem earundem est, non tantum quod solennitatibus omnibus ritè adhibitis Testamentum ita corroboretur, ut testatoris ultima voluntas, uti iusta, suum fortiatur exitum: Verum etiam ut ipse heres, ex eo consequatur facultatem petendi hereditatem Testamento sibi delatam. arg. l. ult. ff. de iniust. rupt. irrit. saltem ex l. ult. C. de Edict. D. Hadrian. toll. immissionem in possessionem bonorum: d. l. ult. & ibi Dd. C. I. A. d. 29. ff. 3. th. 10. Castillo 3. contr. quotidian. 24. n. 132. Klock. 3. conf. 107. per tot. Verum etiam, & vicissim, quod iisdem, imò vel unica saltem harum solennitatum omissa, testamentum, ceu injustum, jure deficiat. l. 12. C. de Testament. Covarruv. tr. de Testam. c. 10. n. 12. Wesemb. 1. conf. 38. n. 71. & 3. conf. 130 n. 18. nec heredem obliget: ne quidem in conscientia. Treutl. d. 2. disp. 10. th. 5. lit. a. Hillig. 6. D. E. 9. a. Thomas Maul. tr. de Testam. quest. 4. hancque sententiam probabilem esse, & in conscientia satis securam, Lessius. 2. de iust. & iur. c. 19. concl. 3. n. 30. fatetur.





31. Cœterum solennitates has non casu fortuito, sine certâ ratione aut vaga tantum opinione obtinuisse; sed partim longo usu & consuetudine, partim Prætorum, & Principum providentia, omnes autem subtilissimo animo & divino quodam motu, *arg. l. ult. C. de prescript. long. temp. ac maturo consilio, præhabitaque deliberatione l. 8. C. de leg. Nov. 80. sit.* quod singularum qua talium ratio non cuivis statim pateat, receptas atque sancitas: nullatenus verò exindè fortè, quod postulatis nonnullorum, quæ sibi errore opinionis pro principiis finxere, non convenient, reprobandas esse, veritas ipsa edocet & demonstrat.

32. Sanè negari non potest, quod in omnium ore versatur, effatum Constantini Imp. in *l. 1. C. de SS. Eccles.* quod nihil magis homini sanæ mentis videatur deberi, quam ut arbitrium, maximè supremum, ceu quod iterare atque emendare negatum est, sit licitum, & liberior ultimæ voluntatis stylus: quodque dubio procul idem jam olim etiam decemviris probatum fuerit, qui propterea Civibus Roman. patribusfam. latissimam (quasi in summa illa veterum integritate & morum simplicitate,) testandi tribuerunt licentiam. *l. 120. ff. de V. S. pr. l. de l. falcid. Nov. 22. c. 2. Ulpian. in fragment. T. II. §. 13.*

33. Verùm enim verò edocuit postea optimus ille vivendi Magister, usus, tantam in ordinandis testamentis licentiã, sapius à maleferiatis hominibus in impietatis & perfidiæ occasionem raptam, & per eam vera judicia subversa, falsaque invicem supposita fuisse: hinc cautiore ætati insequenti visum necessarium, malo huic concedenter mederi, & hereditatis, omnique falsitati prudenter occurrere: ne ex quo jura nasci debebant, nascerentur injuriæ. *l. 6. C. unde vi.* factumque esse, non tantum ut effusior Decemvirorum sermo: verùm etiam modus jure hoc utendi, partim prudentum interpretatione, partim auctoritate ipsorum legumlatorum coangustaretur & restringeretur, non tantum ratione personarum in testationis actu intervenientium, tam principalium, quam accessoriarum: Verùm etiam & imprimis ratione modorum testandi, quibus antea annotatas solennitates ut omnimodò & religiosè observarentur, addidere: e vericulum testamentorum captandorum, supponendorum. Förner. *l. select. 28.* istorum aucupiorum quærendarum hereditatum Ambros. *3. officior. 9.*



34. Est enim testamentum inter actus humanos privatos omnium gravissimus & sanctissimus: certè eum, qui de omni eo, quod quis post mortem suam fieri vult, sententiam ferre, & constituere vult, meritò diu, multumq; cunctari oportet, nec præcipiti studio, ubi irrevocabile factum est, agitari. Hoc ipsi gentiles agnoverunt. Cicero 2. *Philipp.* qui etiam ex testamenti factionis jure immortalitatis argumentum duxit i. *Tuscul. quest. ibi: quid Testamentorum diligentia? nisi nos futura cogitare.* atque ad hanc gravitatem & sanctitatem actus hujus intemeratam conservandam, solennitates illas omnes prudenter introduxerunt, & postea Impp. Christiani piè confirmarunt & conservarunt: & sit, uni vel alteri haec tenus injuriam videri, imò incivile, ob defectum ullius harum solennitatum voluntatem defuncti negligi: Satius tamen est in Republ. benè constituta, ut semper præponantur ea, quæ omnibus communiter profunt, iis, quæ specialiter quibusdam sunt utilia: *Nov. 39. c. r.* quam rationem, uti arbitror, omnibus esse probatam, ita in eadem concludo: saltem pro instituti nostri ratione, pauca hæc ex amplissima materia, de qua accuratius alias, hac vice strictim proposuisse sufficiat.

DEO opt. max. sit laus, honor & Gloria  
in seculorum secula.

### MANTISSA.

**A**N. ult. *C. de Edict. Hadrian. toll.* etiam in Testamento Nuncupativo obtineat? sub disputationis incudem nonnulli ex ICtis practicis revocarunt: non attendentes, quod & *rubr. § l. 2. C. de Edict. D. Hadr. toll. § rubr. C. ubi de hered. ag.* scripti tantum heredis faciant mentionem: & Testamentum ex quo petitur immissio, judici sit ostendendum non  
can-



cancellatum &c. quæ de Testamento in solâ  
 nuncupatione consistente dici nequeant.  
 C.I.A. 29. ff. 3. th. 9. n. 1. atq; ideo rectè Salicetus  
 ad *d. l. ult.* dicit, de iure Justiniano certam esse  
 sententiam hanc: immisionē in possessionē  
 ex *d. l. ult.* non obtinere in testamento nuncu-  
 pativo qua tali: Receptum tamen esse dispu-  
 tatione fori, ut etiam in nuncupativo testa-  
 mento remedium *d. l. ult.* procedat, si scil. Te-  
 stamentum in publicum instrumentum sit  
 redactum, Stephan. Gratian. 4. *Et discept. fo-*  
*rens. c. 749. n. 20.* & totum mundum sic practi-  
 care, testatur Salicet. *d. l.* Johann del Castillo  
 3. *controvers. forens. 24. n. 17.* Ant. Faber. 6. *Cod.*  
 13. *defin. 4.* Meyrer. *de success. Testament.*  
 lib. 3. *Tit. 11. n. 4.* *Et ibi*

*allegg.*

**F I N I S.**






Strassburg, Diss., 1659-60

ULB Halle

3

005 607 590




TA → OL


1077











VINDICIÆ  
SOLENNITATVM  
TESTAMENTARIARVM  
JUSTINIANEARVM.

29 75  
212

QVAS  
D. O. M. A.

1659 15

SUB PRÆSIDIO  
*Viri Consultissimi & Amplissimi,*  
DN. JOHANNIS REBHAN,  
U. J. D. Cod. & Consuetud. Feud. Prof. Ord.  
Collegii Juridici h. t. Senioris, Promotoris & Præceptoris mei omni observantiæ cultu  
prosequendi,

*Publicè asserturus*

JOH. GUOLFGANGUS *Grand*  
Byrutho-Franc.

d. 5 *Febr.* Mens. huius Ianuarii



ARGENTORATI  
Typis Hæred. SEBASTIAN-NICOLAVS HETSTEDT,  
ANNO MDCLXIX.

